

*Scriptori requiem leſtor depoſce perhennem
Qui mente pia petit dici aue Maria.*

CCCXXII.

R. 3294 Codex ejusdem rationis, Folior. 266. ab alio Scriptore, et praecedentibus ornatior est Tomus III. complexus *Quinquagenam III. Psalmorum*, quorum primus *ἀνεπιγεῖραφος* incipit: *Ecce unus pauper orat, et non orat in silentio*, ut edit. *Maur. cit. col. 1091.* Ad calcem hic: *Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo tercio finiui hunc librum in die Sancti Galli confessoris atque Abbatis. Deo gracias. Per me fratrem Wilhel mum.* Tres istos Coenobitas nemo sanus otii aut desidiae arguet, qui vastos ejusmodi Tomos ita gnauiter exarant, ut toto opere calamum nunquam posuisse, nunquam interquieuisse videri possint. Exemplis ceterum sat castigatis uſi sunt.

CCCXXIII.

R. 5 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 143. fol. max. caractere grandi, nitido per duas columnas exaratus, et literis initiorum luculentissimis eleganter picturatis, olim *Monachorum congregationis S. Justine de Padua, deputatus Monasterio S. Seuerini de Neapoli*, ut ora inferior p. 1. testatur, continet Partem priorem *Enarrationum D. Augustini in Psalmos*, et ita inscribitur: *In Nomine Domini Incipit Prologus Beati Augustini Super Expositio-*
Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

nem Psalterii. Prologus hic manu Seculi XV. rescriptus est, cum folio primo Codicis avulso, non nisi tres lineae ultimae illius a prima manu restarent. Perperam vero ad *Augustinum* refertur, licet a variis Codicibus, antiquioribusque Editionibus ei tributus. Est enim *Basilii M.* et graece legitur *Edit. Maur. T. I. Paris. 1721. p. 90.* f. adjuncta Versione magis quidem pressa, quam nostra fit, quae autorem habet *Rufinum Aquilej.* et ejusdem *Edit. T. II.* inserta est a *Garnerio Append. p. 713.* cum aliis *Basilianis* a *Rufino* versis, ut ipse in *Praef. ad Apronianum* testatur. Abest vero hic Prologus ab edito sub *Rufini* nomine *Lugd. 1570. f. Commentario in LXXV. Psalmos*, unde fulcitur Eruditorum sententia Commentarium hunc *Rufino* subpositum fuisse, pertinere ad alium Compilatorem, et fortasse *Vincentium* quemdam *Presbyterum Gallum*, ut visum *Valarsio*, qui teste *Gennadio c. 80.* in *Psalmos* scripsit, statimque in *Psalmum I.* locum sat prolixum sublegit *Augustino* nostro, quod *ὡς ἐν παροδῳ* dictum. Initium porro hujus Prologi est: *Omnis Scriptura diuinitus inspirata utilis est &c.* Finis: *ipsa Psalmorum indicent initia.* Opus ipsum minio inscribitur: *Incipit de primo psalmo*; et orditur: *Beatus vir &c. De domino nostro ihesu christo id est homine dominico &c.* ut *Edit. Maur. T. IV. Paris. 1691. col. 1. f.* quacum ita